

# EPISTULA LEONINA

## CXXVI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM VICESIMAM SEXTAM (126) !**

## ARGUMENTA

MOMO FABULA MICHAELIS ENDE LATINE REDDITA (III).....p. 04-14

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam  
centesimam vicesimam sextam.*

*En habes capitulum tertium Momonis fabulae Endeanae mirabilis tunicâ  
indutum. Babae quam lepidê atque argutê Michael Ende narrat de  
Momone puellâ quadamtenus magicâ vi auscultandi praeditâ, quâ  
praesente parvuli mirabile iter faciunt investigatorium mente confictum.  
Auctor iocosê describit mores nauarchi Gordonii et Domini Melú  
gubernatoris et professoris Eisenstein et Momosanae indigenae  
formosae, cuius cantilenâ omnes servantur... Et quid dicam de  
fabulosissimo illo monstro, cui nomen est scientificum Schum-schum  
gummilasticum? Ne multa! Hanc Epistulam Leoninam 126 tolle et lege et  
laetare et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

**Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS  
Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
die Dominico, 19. m. Mart., a.2017**



## INCIDIS IN SCYLLAM CUPIENS VITARE CHARYBDIN

GUALTERUS DE CASTELLIONE

(1135-1190)

**Gualterus de Castellione**, Alexandreis 5,297-301 Nactus equum **Darius** rorantia cede suorum/ Retrogrado fugit arua gradu. quo tendis inertem,/ Rex periture, fugam? nescis, heu perditte, nescis/ Quem fugias. hostes incurris dum fugis hostem./ Incidis in Scillam cupiens uitare Caribdim.

**Walter von Châtillon** (lat.: **Gualterus de Castellione**, **Walterus ab Insulis**; fr. **Gautier de Châtillon**; \* ca. a.1135 † ca.a.1190 vel 1201)

# **MOMO (III)**

**aut fabula mirabilis, qua narratur de furibus temporis  
deque puellâ, quae hominibus tempus reportavit**



**FABELLARIS FABULA ROMANICA**

**QUAM THEODISCE NARRAVIT**

**MICHAEL ENDE**

**LATINE REDDIDIT**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

**Prima editio operis originalis facta est a.1973.**

## CAPITULUM TERTIUM

### Procella lusoria veraque fulmina tonitruaque

Scilicet Momonem auscultantem nullo modo distinxisse adultos a parvulis.

At parvuli aliâ quoque de causâ tam libenter veniebant in amphitheatrum. Ex quo tempore Momo aderat, iidem melius ludere poterant quam umquam antea. Prorsus nulla iam erant momenta, quibus molestiâ temporis vexarentur. Ne credas hanc rem sic se habuisse, quia Momo proponeret res perquam bonas faciendas. Immo, Momo nihil prorsus faciebat nisi aderat et ludebat cum illis. Et ipsâ hac re - nemo scit quomodo - parvulis in mentem veniebant cogitationes optima. Cottidie iidem inveniebant novos lusûs, quorum unus pulchrior erat quam alius.

Aliquo die fervido et aestuoso decem undecimve parvuli in gradibus lapideis sedentes Momonem exspectabant, quae exierat, ut in locis circumiectis vagaretur, quod interdum faciebat. E caelo pendebant nubes crassae nigraeque. Verisimile fuit mox factum iri fulmina tonitruaque.

»Mâlo domum ire« puella quaedam dixit, quae secum habuit sororculam, »timeo fulmina tonitruaque.«

»At domi quid fit?« puer quidam rogavit perspicillo instructus.  
»Num ibi non times illa?«

»Certê timeo domi quoque.«

»Ergo« puer inquit »quidni manes hîc?«

Puella autem umeris concussis annuit. Paulo post eadem dixit: »At fortasse Momo non veniet.«

»Quid rêfert?« puer alius dicens colloquio se intermiscuit, qui aspectu erat aliquatenus egenus et neglectus. »Tamen licet nobis aliquid ludere - etiam sine Momone.«

»Bene, sed quid?«

»Nescio quoque. Rem aliquam licet.«

»Aliquae res est nulla res. Quis scit aliquid proponere ludendum?«

»Equidem quendam ludum nôvi« crassus quidam puer dixit voce altâ puellari praeditus. »Ludamus mente fingentes totas parietinas esse magnam navem nosque navigare in maria incognita et subire

adventuras<sup>1</sup>. Ego sim nauarchus, tu sis primus gubernator, tu sis investigator naturae, professor quidam, iter enim faciamus investigandi causâ, intellegitisne? Alii autem sint nautae.«

»Nos autem puellae, quid nos faciamus?«

»Nautriae<sup>2</sup> sitis. Navis enim sit temporis futuri.«

Hoc erat consilium bonum! Parvuli conabantur ludere secundum hoc consilium, sed quia non inter se consentiebant de singulis rebus, lusus non bene processit. Paulo post omnes denuo in gradibus lapideis sedentes exspectabant.

Tum autem advênit Momo.

Circa proram in altum surgebat unda ingens. Navis investigatoria, quae vocabatur »Argo«, leviter sursum deorsum nutabat, cum placidê vehens velocissimê invadebat in mare australe coralliorum.

Ex hominum memoriâ nullus umquam nauarchus ausus erat in has regiones maris periculosas navigare, quae abundarent locis vadosis, scopulis coralliorum, monstisque marinis ignotis. Necnon hac in regione erat »typhon<sup>3</sup> aeternus«, turbo quidam numquam quiescens. Qui in aeternum per mare circumvagans praedam petebat tamquam bestia viva, immo insidiosa. Eius iter non poterat inveniri computando. Quidcumque istic orcanus<sup>4</sup> ingentibus unguibus correptum tenebat, non iam dimittebat nisi in fragmenta diruptum, quae similia erant ramentis flammiferis.

Scilicet autem Argonem navem investigatoriam ratione speciali instructam esse, ut resisteret isti turbini migratoriae. Quae navis enim integra composita erat ex chalybe caerulea alamontana<sup>5</sup>, quae tam flexilis atque infrangibilis erat quam acies dolonis. Confecta enim erat ratione fabricandi peculiari solidâ, sine ullâ suturâ ulloque loco ferruminandi.

<sup>1</sup> +adventūra, -ae f. est vox mediaevalis (cfr angl. *adventure*).

<sup>2</sup> nautria, -ae f. nauta femina.

<sup>3</sup> typhōn, -ōnis m., orig. *Taifun*. cfr Online Etymology Dictionary: "typhoon (n.) Tiphon "violent storm, whirlwind, tornado," 1550s, from Greek typhon "whirlwind," personified as a giant, father of the winds, perhaps from typhein "to smoke" (see typhus), but according to Watkins from PIE \*dheub- "deep, hollow," via notion of "monster from the depths." The meaning "cyclone, violent hurricane of India or the China Seas" is first recorded 1588 in Thomas Hickock's translation of an account in Italian of a voyage to the East Indies by Caesar Frederick, a merchant of Venice..."

<sup>4</sup> \*orcānus, -ī m. orig. *Orkan*. cfr Ephemerides Societatis meteorologicae palatinae observationes anni . Observationes anni 1784. Manheimii 1786, p.680, Die 4: „...In Tamesi in Anglia saeviit Orcanus; frigus ingruit vehementius anni prioris; nives vero decidisse dicuntur ad 8-9 pedes.”

<sup>5</sup> chalybs \*alamontana orig. *Alamont-Stahl*.

Tamen, vix alius nauarchus aliique nautae ausi essent subire istaec pericula inexaudita. Nemo nisi Gordonius nauarchus hoc ausus est. Qui superbê suspexit de mesóstegâ<sup>6</sup> in nautas suos nautriasque, qui omnes erant homines probatissimi rerum specialium sibi attributarum peritissimi.

Iuxta nauarchum stabat eius gubernator primus, Dominus Melú, nauta veterator, qui iam superaverat centum viginti septem ventos orcanos.

In parte navis posteriore, in stegâ apricâ apparuit Professor Eisenstein, expeditionis ducem scientificum, qui erat unâ cum assistricibus Maurinâ atque Sarâ, quae memoriâ enormi instructae nauarcho tantae valebant quantae integrae bibliothecae. Omnes tres stabant ad instrumenta sua subtilissima inclinati submissê inter se consulentes sermone scientifico intricato.

Aliquanto seorsim ab illis Momosana sedebat indigena formosa cruribus decussatis. Interdum investigator eam rogabat de huius maris peculiaritatibus, Momosana autem ei respondebat dialecto Hulanâ sonorâ, quam nemo intelligebat nisi professor.

Expeditio autem eo fine fiebat, ut inveniretur causa typhonis migratorii, et, si fieri poterat, ut eadem tolleretur, ut hoc mare etiam aliis navibus perlustrari posset. At adhuc omnia erant quieta, procella nullo modo sentiebatur.

Subito nauarchus cogitabundus clamore viri in speculâ stantis correptus est.

»Nauarche« vir per manum cavam deorsum clamavit, »aut ego deliro aut reverâ ibi antea video insulam vitream!«

Nauarchus atque Dominus Melú statim perspexerunt telescopia sua. Necnon Professor Eisenstein eiusque assistrices advenerunt rem spectare cupientes. Indigena tantum formosa mansit sedens animo remisso secundum mores enim gentis Hulanæ mysteriales puellae non licuit patefacere animum curiosum.

Mox navem appulerunt ad insulam vitream. Professor autem praeter parietem navis externam scalâ resticulariâ usus descendit et intravit solum pellucidum. Quod cum esset solito lubricius, Professor Eisenstein aegerrimê tantum id assecutus est, ne laberetur. Tota insula formâ erat circulari, diametro circiter viginti metrorum. Versus

---

<sup>6</sup> \*mesóstega, -ae f. orig. *Kommandobrücke*, angl. *conning/ navigating bridge*; fr. *passerelle de navigation*; hisp. *puente de navegación*; ital. *ponte di comando*; ngr. *μεσόστεγο ή γέφυρα πλοίου*.

mediam partem in formam tholi erat acclivis. Professor locum summum assecutus animadvertit lucem pulsantem in insulae intimae profunditate.

Qui de re conspectâ ceteros certiores fecit, qui stabant animo suspenso exspectantes ad epimedium navale<sup>7</sup> acclinati.

»Si ita est, necessario agitur de *Oggelmumpfio bistrozinali*.«

»Fortasse«, respondit Sara assistrix »at haud minus verisimile est ibi esse *Schluckulam tapetoziferam*.«

Professor Eisenstein corpore erecto perspicillum rectê naso imposuit et sursum vocavit: »Meâ quidem sententiâ nos hîc incidimus in subspeciem communis *Strumpfii quietschinensis*. At hanc rem non decertabimus, nisi in ipso loco profundo investigaverimus.«

Deinde tres nautriae, quae fuerunt praeterea urinatrices<sup>8</sup> athleticae in orbe terrarum illustrissimae interimque vestem urinatoriam<sup>9</sup> induerant, in aquam insiluerunt et evaserunt in abyssum caeruleam.

Aliquamdiu in maris superficie nil apparuit nisi bullae âeris, sed deinde subito emersit una e puellis, nomine Alexandra, et anhelans vocavit: »Agitur de urticâ marinâ<sup>10</sup> giganteâ. Aliae duae bracchiis huius bestiae captae non iam se liberare possunt. Eas puellas debemus servare recto tempore, ne pereant!«

His dictis iterum evasit.

Statim centum urinatores duce Franco centurione perito, cui supernomen erat delphini, in fluctûs se proripuerunt. Ingens pugna exarsit sub aquâ, cuius superficies spumâ obtegeretur. At ipsis his viris non contigit, ut ambas puellas liberarent bracchiis urticae marinae horribiliter circumclusas. En quantum robur istius bestiae ingentis urticae!

»Nescioquid« professor assistricibus dixit fronte contractâ »Nescioquid in hîc mari efficiat quadamtenus crescentiam giganteam. Maximê meâ interest huius rei causam cognoscere!«

Interim nauarchus Gordonius eiusque gubernator primus Dominus Melú consuluerant consiliumque ceperant.

<sup>7</sup> epimēdium nāvāle – orig. *Reling*; angl. *railing*, *ship's rail*; fr. *bastingage*; hisp. *borda*, *barandilla*; ital. *impavesata*; ngr. *η κουπαστή*

<sup>8</sup> \*ūrinātrīx, -īcis f. orig. *Taucherin*. cfr zool. *Pelecanoides urinatrix*.

<sup>9</sup> vestis \*ūrinātōria orig. *Taucheranzug*.

<sup>10</sup> urtica marīna orig. *Qualle*.



»Retro!« Dominus Melú vocavit. »Omnes nautae in navem redeant! Istud monstrum in partes duas dissecabimus, alioquin fieri non potest, ut duas puellas servemus.«

Delphinus (qualis vocabatur) eiusque urinatores reversi nixi sunt in navem. Argo nunc primo aliquantulum revecta, deinde quam celerrimê porro invecta est in urticam giganteam. Prora navis chalybeia tantâ acie erat, quantâ est novacula. Itaque sine ullo sono, nullâque ferê percussione sensibili prora urticam giganteam dissecuit in duas partes dimidias.

Hac autem re duae puellae tentaculis correptae adductae quidem sunt in quoddam periculum, sed Dominus Melú primus gubernator, qui rem quam accuratissimê computavisset, pervectus est medias inter illas. Statim tentacula utriusque partis urticae dimidiae laxa atque debilia dependerunt, ut puellae captae se evolverent.

Laetê in nave sunt receptae. Professor Eisenstein ad duas puellas cum adiisset, dixit haec: »A me effectum est istud incommodum. Non licuerat mihi vos submittere. Ignoscite mihi vos a me in periculum adductas esse!«

»Non opus est excusatione, Professor« una e puellis respondit laetê ridens. »Nam tecum profectae sumus, ut talia experiremus.«

Alia autem puella addidit verba haec: »Pericula nos subimus ex officio.«

At tempus non iam restitit ad colloquium prolixius habendum. Cum labores servandi exanclarent, nauarchus nautaeque prorsus oblîti erant mare observare. Itaque nunc demum, ultimo momento temporis, animadverterunt interim in circulo finitoris apparuisse turbinem migrantem, quae citissimê invehebatur in Argonem.

Primâ ingenti undâ praecipiti navis chalybeia in altum correpta et proiecta est, in latus deiecta, in undarum vallem quinquaginta ferê metrorum praecipitata. Iam hac allisione primâ nautae minus periti minusque fortes procul dubio dimidiam ferê partem de nave in mare proiecti essent, alteram partem dimidiam essent exanimati. At nauarchus Gordonius cruribus divaricatis stabat in mesóstegâ, quasi nihil factum esset, eiusque nautae haud minus immoti rem pertulerant. Momosana tantum formosa indigena itinera tam efferata cum non esset assueta, nixa erat in scapham salvificam<sup>11</sup>. Paucis momentis temporis elapsis totum caelum erat nigerrimum. Turbo autem ululans

<sup>11</sup> scapha salvifica orig. *Rettungsboot*.

atque rugiens in navem invecta eandem in altitudinem turris altissimae iactavit, in profunditatem abyssi. Istaec autem procella iterum iterumque vehementius videbatur irasci, quod non potuit Argonem affligere.

Nauarchus autem voce placidâ dedit mandata, quae deinde a gubernatore primo magnâ voce sunt enuntiata. Omnis nauta stetit loco sibi attributo.

Ipsae Professor Eisenstein eiusque assistrices instrumenta sua non deseruerant. Qui computaverunt, ubi necessario nucleum turbini intimum esse, nam eo iter faciendum erat. Gordonius nauarchus furtim admirabatur horum scientistarum pectus frigidum, qui – aliter ac ipse eiusque nautae - non erant maris veteratores.

Primo fulmine coruscante navis chalybeia icta est, quae ideo – scilicet ex integro electricê caricaretur. Quemcumque locum attigeras, scintillae in te prosiliebant. At talibus rebus omnis Argonauta exercitiis durissimis, quae fiebant per menses, assuefactus erat. Nemo nautarum tales imbres scintillarum expertus ullo modo permotus est.

Eo autem quod partes navis tenuiores, quales sunt funes chalybei et perticae ferreae ita coeperunt igne candescere ut filum bulbi electrici ferreum, tamen labores nautarum aliquantulo aggravati sunt, quamquam iidem viri omnes gerebant chirothecas asbestinas<sup>12</sup>. At feliciter accidit, ut isti ardores celeriter exstinguerentur; nunc praecipitaverunt imbres, quantos nemo participum – Domino Melú excepto – umquam expertus erat, imbres, qui tam densi erant, ut mox totus aër amoveretur ad respirandum necessarius. Itaque necessarium fuit, ut nautae induerent perspicilla urinaria<sup>13</sup> apparatusque respirandi.

Iterum iterumque coruscabat, iterum iterumque tonabat! Procella ululabat! En undas domibus maiores spumamque albam!

Paulatim et gradatim Argo machinis omnibus luctabatur vehementiam istius typhonis provehens. Machinistae<sup>14</sup> atque calefactores in infimis cellis cortinalibus<sup>15</sup> supra modum humanum laborabant. Qui funibus crassis se alligaverant, ne crudelissimâ

<sup>12</sup> \*asbestinus, -a, -um orig. *Asbest*// cfr Ernst Hennig, Erklärendes Wörterbuch zu allen Pharmacopöen, Leipzig 1847, p.91: „Asbestinus, -a, -um adj., dem Asbest ähnlich“.

<sup>13</sup> perspicillum urinatōrium orig. *Tauchermaske*.

<sup>14</sup> mächinista, -ae m. *Maschinist*.

<sup>15</sup> cortinalis, -e cfr cortinale, -is n. COLUM.1,6,19 locus, ubi cortinae conduntur.

agitatione atque pulsatione navis inicerentur in fauces cortinarum vaporaliū igneas.

Tandem assecuti erant nucleum turbini intimum. At iidem quid aspectavere!

In maris superficie, quae hōc loco erat laevissima, quia omnes undae solā vi procellae levigatae sunt, saltabat animal quoddam giganteum. Quod stabat uno pede, sursum etiam etiamque crassescens, reverā erat aspectu turbini, montis magnitudine. Hoc animal rotabatur maiore cum velocitate, quam ut eius notae singulae conspicerentur.

»Ecce *Schum-schum gummilasticum!*« professor animo inflammato vocavit perspicillum retinens, quod imbre praecipiti iterum iterumque de naso deluebatur.

»Potestne fieri, ut hoc accuratius nobis explices?« Dominus Melū mussitavit. »Nos enim sumus nautae simplices et...«

»Sinās nunc professorem investigare quietum« Sara assistrix dixit sermone illius interrupto. »Haec est occasio singularis. Verisimile est hoc animal turbinatum<sup>16</sup> exortum esse temporibus primis, quibus terra formari incepta est. Necesse est idem animal habere plus miliardam annorum. Hodie subspecies tantum huius speciei exstat parvitate microscopica, quae interdum invenitur in embammate lycopersicorum<sup>17</sup>, etiam rarius in atramento viridi<sup>18</sup>. Exemplum tantae magnitudinis nescio an sit unicum huius speciei, quod adhuc restat.«

»At nos sumus hōc loco« nauarchus clamavit procellā ululante, »ut tollamus causam typhonis aeterni. Ergo dicat nobis professor, quomodo efficiamus, ut sistat ista belua!«

»Hoc« professor inquit »ego quoque nescio. Scientistis adhuc nulla fuit occasio hoc animal perscrutandi.«

»Bene« nauarchus inquit »primo tela in istud iaculabimur, ut videamus, quid fiat.«

»Hoc est flebile« professor dixit lamentans. »Unicum exemplum speciei *Schum-schum gummilasticum* telis affligitur!«

At canno contrafictionis iam collineandi causā versus est in turbinem giganteum.

»Ignem!« nauarchus imperavit.

<sup>16</sup> animal turbinatum orig. *Kreiselwesen*. \*turbinatus, -a, -um cfr zool. *Larinus turbinatus Kratzdistelrüssler*.

<sup>17</sup> embamma lycopersicorum orig. *Tomatensoße*.

<sup>18</sup> atramentum viride orig. *grüne Tinte*.

E tubo gemino proiecta est caerulea flamma mucronata<sup>19</sup>. Scilicet nihil auditum esse, nam constat cannone contrafictionis iactari proteina. Telum lucidum in *Schum-schum* volavit, sed gurgite ingenti correptum et aversum figmentum illud compluries circumrotavit etiam etiamque celerius, denique in altum proreptum in nigredinem nubium evasit.

»Telum est ineptum!« Gordonius nauarchus evocavit. »Necesse est isti beluae propius accedamus!«

»Propius non veniemus!« Dominus Melú reclamavit. »Machinae iam operantur summâ cum vi. Haec autem vix maior est, quam ut navis effectu procellae reflectur.«

»Scin' tu aliquid commendare faciendum, professor?« nauarchus sciscitatus est.

At Professor Eisenstein nihil fecit nisi umeros concussit. Nec eius assistrices sciverunt aliquid faciendum. Visum est necessarium esse, ut expeditio abrumperetur frustra facta.

Hoc autem momento temporis aliquis manicam professoris vellicavit. Qui homo fuit indigena illa formosa.

»*Malumba!*« eadem inquit lepidis vultibus gestibusque. »*Malumba oisitu sono! Erweini samba insaltu lolobindra. Kramuna heu beni beni sadogau.*«

»*Babalu?*« professor interrogavit stupefactus. »*Didi maha feinosi intu ge doinen malumba?*«

Indigena formosa alacriter annuens respondit:

»*Dodo um aufu schulamat wawada.*«

»*Oi-oi*« professor respondit mentumque mulcens cogitabundus.

»*Quidnam illa vult?*« gubernator primus sciscitavit.

»*Illa dicit*« professor inquit explicans »in gente suâ esse cantilenam praevetustam, quâ typhon migrans possit sopiri, si quis sit tam audax, ut et illam praecantet.«

»*Ridiculum!*« Dominus Melu mussitavit. »*Neniola*<sup>20</sup> cantatur procellae dedicata!«

»*Quid cogitas de hac re, professor?*« Sara assistrix quaesivit sciscitabunda.

<sup>19</sup> flamma mucrônâta orig. *Stichflamme*.

<sup>20</sup> \*neniola, -ae f. orig. *Schlafliedchen*. cfr Sir Edgerton Brydges: Res literariae: bibliographical and critical, for Oct. 1820. Naples 1821, Valerianus: Nutrix cum tribus sororibus infantulo vag(i)enti blanditur: p.232: "Nota tibi nate est nota **neniola**?"

»Potestne fieri, ut hoc prosit?«

»Non licet habere opiniones praeiudicatas« Professor Eisenstein dixit. »Saepe indigenarum sententiis traditis inest nucleus verus. Nescio an sint aliquae tonorum oscillationes, quae vim habeant ad *Schum-schum gummilasticum*. Adhuc parum novimus de huius animalis condicionibus vivendi«.

Re consideratâ nauarchus: »Nil nocebit« dixit. »Itaque praestat rem experiri. Dic mulieri, ut cantet.«

Professor ad indigenam formosam conversus:

»*Malumba*« inquit »*didi oisafal huna-huna, wawadu?*«

Momosana annuens statim coepit cantare cantilenam perquam mirabilem, quae ex paucis tantum tonis constitit, quos iterum iterumque repetebat:

»*Eni meni allubeni*  
*wanna tai susura teni!*«

Cantans manibus plausum fecit et secundum numerum circumsaltavit. Melodia simplex verbaque facile memoriae mandari potuerunt. Alii paulatim et gradatim concinebant, ut mox totus grex nautarum cantaret, manibus plausum fecit, secundum numerum circumsaltavit. Satis mirabile visu fuit, quomodo etiam Dominus Melú nauta veterator necnon denique etiam professor cantarent atque plauderent, quasi essent parvuli in campo lusorio ludentes.

Reverâ autem factum est, quod nemo eorum crediderat! Turbo giganteus lentius circumrotabatur lentiusque, denique constitit et coepit submergi. Moles aquarum tonantes super eum conclusae confluerunt. Repente procella remissa est, imbres cadere desierunt, caelum disserenavit coloremque duxit caeruleum, undae maris sunt lenitae. Argo quietê iacebat summo mari nitidissimo imposita, quasi numquam aliam rem experta esset nisi quietem atque pacem.

»Sodales« Gordonius nauarchus inquit singulorum nautarum facies inspiciens »hoc quidem perfecimus!«

Qui numquam multa dixit, quod omnes sciverunt. Eo pluris aestimaverunt, quod nunc addidit verba haec: »De vobis superbio!«

»Puto« puella inquit sororculâ secum adductâ: »reverâ imbres cecidisse. Equidem sum umidissima.«

Reverâ interim fulmina tonitruaque facta erant. Praecipuê autem puella unâ cum sororculâ mirata est se prorsus oblîtam esse timorem sui fulminum tonitruumque, dum versata erat in nave chalybeiâ.

Aliquamdiu de periculis subitis collocti singulisque rebus, quas ipsi experti erant. Deinde discesserunt domum redituri seque siccaturi.

Unus tantum parum contentus erat de lusûs eventu: puer ille perspicillo instructus. Qui valedicens Momoni dixit: »Doleo tamen, quod de *Schum-schum gummilastico* nihil fecimus nisi statim integrum submersimus. Quod fuit ultimum exemplum speciei suae! Utinam reverâ illud aliquando accuratius essem perscrutatus!«

At unâ in re semper omnes consenserunt: Nullo loco melius ludere licebat quam apud Momonem.

## **FABULAM MOMONIS A MICHAELE ENDE CONSCRIPTAM**

### **IN LATINUM CONVERTIT**

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50



				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM VICESIMAM SEXTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**die Dominico, 19. m. Mart., a.2017**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**

**<http://www.leolatinus.de/>**